



NOS RECTOR, ET ANTIQUISSIMA, AC CELEBERRIMA UNIVERSITAS VINDOBONENSIS LECTORIBUS SALUTEM.

Laudabile imprimis majorum nostrorum institutum est, ut qui honestis studiis, atque artibus diu sese dediderint, antequam ad vitæ comunis usum atque ad praxim se se conferant, ante omnia subeant examen, ut debitum eruditionis suæ testimonium legitimo acquirant modo. Cum itaque ornatissimus, doctissimusque Vir Joannes Bapt. Loranz Bohemus Richnoviensis diligentem, assiduamque Medicinæ multos annos operam navasset, atque jam ad exhibendum doctrinæ suæ specimen paratus esset, desideratque a nobis, ut ipsum titulo academico doctrinæ suæ convenienti ornaremus. Nos cum honestissimæ æquissimæque ipsius petitioni hac in parte deesse non possemus, ipsum primo per universam Medicinam accurate examinavimus, ac deinde Theses Medicas publice adversus omnium opponere volentium argumenta, objectionesque tuentem audivimus. In quibus omnibus cum præclaram eruditionem suam, ac Medicinæ peritiam abunde nobis probasset, libenter contulimus petenti honorem, qui virtuti et honestis studiis debetur. Quapropter potestate nobis ab Augustissimo Imperatore IOSEPHO II^do^ concessa, eundem Joannem Bapt. Loranz die 20ma Januarii anni Millesimi, Septingentesimi, Octogesimi, Quinti, Doctorem Medicinæ pronunciavimus, ac declaravimus, pronunciamus, ac declaramus, dedimus, ac damus ei potestatem cathedram doctoralem conscendendi, ac de Medicina respondendi, praxim, cæteraque exercendi, quæ Medicinæ Doctores exercere solent. Tribuimus ei insuper privilegia omnia, ac prærogativas, quæcunque vero Medicinæ Doctori legibus, vel consuetudine tribui solent. In quorum omnium fidem Diploma hoc publicum majore Universitatis Sigillo signatum, nec non manu Notarii Inclytæ Facultatis Medicæ subscriptum ei dari curavimus. Viennæ Austriæ anno, mense, et die supra dictis. L.S.

Benedictus Leopoldus Rhein
Excelsi Regim Consiliarius
Philosophiæ et Medicinæ Doctor
Universitatis Viennensis p.t. Rector.

Edmundus S.R.I. comes ab Arzt Eppus Ep[illegible] Ecc. Metrop. Vien. Præpos. et canonicus, Emi ac Celsissimi S.R.I. Principis ac Archi Eppi Vien. Suffraganeus, vic. Gen. et Ss. ac universitatis Cancellarius

Antonius L. B. de Störck C. R. Apost. Majestatis consiliarius aulicus, Archiatr. comes et facultatis medicæ Præses

Joan: Mich: Schosulan
Medicinæ Doctor
et Incl: Facultat:
p: t: Decanus.

A.